

nandos cum diabolo & angelis ejus. Sanctos verò aternâ gloriâ coronandos, cum Christo & sanctis Angelis ejus in sæcula sempiterna. Carol. Magn. Francofurt. §. 24. Anno 794. Goldast. tom. 1. Conffit. Imper.

TRADITIONES EC- CLESIASTICÆ.

§. 2.

Apostolicas & Ecclesiasticas Traditiones, (a) reliquasq; ejusdem Ecclesie observationes & constitutiones (b) firmissimè admitto & amplector.

(a) Ac Reverendissimi sacrorum Monasteriorum Archimandritæ sequentes Sanctorum Patrum traditionem, ea scilicet fide, ut nihil penitus immutaverint, vel immutent (sicut dictum fuit) de Ecclesiastico statu, qui hætenus obtinuit &c. L. cognoscere volentes, vel, ut aliæ impressiones habent, cum velimus 7. §. Ac Reverendiss. 2. C. de summâ Trinit. & Fide Cath. Nos sequentes Sanctorum Apostolorum, & eorum, qui post eos in sanctis DEI Ecclesijs conversati sunt dogmata, justum fore existimavimus, cunctis manifestum facere, qualiter de fide, quæ in nobis est, sentiamus, insistentes & adherentes traditioni & confessioni Sanctæ DEI Ecclesiæ Catholicæ. L. cum recta. 5. in pr. C. de summâ Trin. & Fide Cathol.

Et ad hoc omnes qui non sunt membrum Sanctæ DEI Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, in quâ omnes concorditer sanctissimi Episcopi, & totius orbis terrarum Patriarchæ, & Hesperix, & Romæ, & hujus regix Civitatis, & Alexandria & Theopoleos, & Hierosolymorum, & omnes qui sub eis constituti sunt sanctissimi Episcopi, & Apostolicam prædicant fidem atque Traditionem. Novella 109. pr.

Nos igitur maximam habemus sollicitudinem circa vera DEI dogmata & circa Sacerdotum honestatem: quam illis obtinentibus credimus, quia per eam maxima nobis dona dabuntur à DEO, & ea quæ sunt

sunt firma habebimus : & quæ nondum hæcenus venerunt, acquiremus. Bene autem universa geruntur & competenter, si rei principium fiat decens & amabile Deo. Hoc autem futurum esse credimus, si sacrarum regularum observatio custodiatur, quam justî & laudandi & adorandi inspectores & ministri Dei verbi tradiderunt Apostoli, & sancti Patres custodierunt & explanaverunt. Novell. 6. in præfat.

Sed etiam sic eum constitutum, & ad Episcopatum præparatum, competens est, venerabiles, & undiq; probatas legere regulas ante ordinationem, quas recta & inviolata nostra suscipit fides, & Catholica Dei Apostolicaque disposuit & tradidit Ecclesia, &c. Rectè dictum est oportere sacras regulas pro Legibus valere. Novell. 6. cap. 1. §. Sed etiam. 8.

Nihil enim aliud præcipi volumus, quàm quæ Evangeliorum, & Apostolorum fides & TRADITIO incorrupta servat, sicut & Legge divali parentum nostrorum Constantini, Constantii, Valentiniani decreta sunt L. Eorum. C. Theodosian. Ne sanct. Baptis. iter.

(b) Dei igitur intelligentes & animo infigentes iudicium : singulorum quæ nobis delata sunt, inquisitionem simul & correctionem iussimus canonicè procedere. Si enim illa quæ à Laicis peccantur, generales leges non concedunt extra inquisitionem & vindictam manere, quomodo à sanctis Apostolis & Patribus super omnium hominum salute canonicè statuta despici patiemur ? Sanè multos ex eo maximè deprehendimus in peccata fuisse prolapsos, quòd non sunt factæ Synodi sanctissimorum Sacerdotum juxta ea, quæ à sanctis Apostolis & Patribus definita sunt. Si enim hoc fuisset observatum, quilibet metuens gravem in Synodo accusationem, studuisset utique & sacras ediscere liturgias, & temperanter vivere, ne condemnationi divinorum Canonum subjaceret. Novell. 173. cap. 1. Quum decenter inde ab initio de iis, qui faciendis Deo sacris digni essent, Ecclesiasticus ordo constituerit, non rectè (meo quidem iudicio) qui præsentis temporis consuetudinem sequuntur, interdum Ecclesiasticam traditionem contemnunt. Novell. Imper. Leonis 3. Imperavit Anno 716. &c.